

# Felis species, in Scandinavia habitantes,

illustratae

a

Carolo Petro Thunberg.

**F**elis familia, sine dubio, ad illa ferarum Genera referri debet, quorum species numerosae non sine magna difficultate cognoscuntur, et certis characteribus determinantur. Pauciores species occurunt unicolores; pleraque notantur maculis atris, vel rotundis, vel oblongis, vel angulatis, vel ocellaribus, vel pupillatis, varie in variis corporis partibus sparsis. Adhuc pauciores sunt illae species, quae fasciis transversis exornantur. Cunque haec hujus generis diversorum colorum insignia ornamenta, quae pelles eorum pulcherrimas simul et pretiosas reddunt, quaeque specierum diversitates optime indicare deberent, pro diversa aetate, sexus differentia et aliis circumstantiis mirifice multum varient; non mirum, si characteres specierum, quos varii Auctores condiderint, saepe vacillaverint, quodque cognitio specifica non raro fuerit incerta et dubia. Necesse itaque erit, ut omnes, quoique fieri potest, conclamentur notae characteristicae, quae unquam sese offerunt, pro determinanda singulari specie vera amplissimi hujus generis.

*Unicolores* sunt: Leo, concolor, discolor, caracal.

*Fasciatae*: Tigris, americana, catus et chaus.

*Maculatae* inveniuntur pleraque: pardus, pardalis, *Leopardus*, tigrinus, onca, uncia, chinensis, capensis, mexicanus, auritus, rufus, manul, jubatus, *Lynx*, borealis, vulpinus et Serval.

*Brevicaudatae*: Serval, caracal, rufus, borealis, vulpinus et *Lynx*.

*Longicaudatae*: Leo, Tigris, *Leopardus*, pardalis, pardus, uncia, onca, tigrinus, jubatus, discolor, concolor, capensis, catus, chaus et manul.

*Auriculis barbatis notatae*: *Lynx*, borealis, vulpinus, rufus, chaus,— caracal et Serval.

*Cauda*, quae si dicitur longa, pedes longitudine adaequat, interdum longior, et quandoque longitudinem totius corporis superat.

In Leone cauda floccosa est, in plerisque cylindrica. In quibusdam cauda unicolor conspicitur; in multis annulis discoloribus vel maculis adornata.

*Colores* ad species determinandas multum conferre valent,— nec notae ab illis desumptae omnino negligi debent. Sunt hi in variis speciebus, nigri, albidi, cinerei, rufescentes.

Lynx, suethice *Lo*, est secundum Linnaeum, in Fauna suecica, species Felis, quae inhabitat Scandinaviam omnem locis silvestribus, ut Uplandiam, Norrlandiam, Vermlandiam, Norvegiam. Similiter inhabitare dicitur Americanam borealem, Japoniam, Galliam et alias Europae partes. Nonnulli Auctores Lynces considerant ut proprium Genus, distinctum a ceteris Felis speciebus penicillo auricularum terminali, et cauda breviori, femoribus vix longiori.

In Sueciae variis provinciis occurunt tres distinctae varietates, vel si mavis, tres species, quarum singula proprio quodam nomine ab incolis et Venatoribus indicatur, licet quae-dam earum adeo sint rarae, ut pauci sint, quibus illa contigit felicitas, eas vivas videndi.

1. Varg-*Lo* (*Lynx Lupus*) vocantur illa individua, quae majora sunt, *Lupum* vul-garem fere magnitudine aequantia, colore semper ferrugineo cum maculis nigris, sparsis sem-per fere in pedibus, non nunquam etiam in dorso et lateribus. Occurrit hic *Lynx*, et occi-ditur in plurimis provinciarum sylvis, magis quam reliqui communis et melius notus, ac valde noxius tam ovibus, quam Damis et, aliis animalibus. Femina magis noxia censetur, et maculis frequentioribus in corpore a mare dignoscitur. Colorem corporis rufescensem semper inveni constante in omnibus illis individuis, quae examinare mihi contigit, etiam in junioribus et nuper natis.

2. Katt-*Lo* (*Lynx Catus*) paulo minor raro obvenit in sylvis, ac rarius a Venatoribus occiditur. Color universalis hujus est albidus, vel saltem sordide albus pelle ubique notata maculis simplicibus, et in dorso lineolis oblongis, exiguis, nigris. Ex hocce *Katt-Lo* tria specimina in Museo Upsaliensi conservantur, parum variantia. Raro plerumque occurrit in Museis et adeo incognitus fuit ipsi Linnaeo, ut in Fauna Suecica scripserit: *nescio quo fato a me nunquam visus*. Descriptionem et Iconem ejus Ego dedi in Actis Reg. Academ. Scientiarum Stockholmensis, Anno 1815. Specimen illud ornat quoque Museum Academiae Up-saliensis. Postea contigit mihi videre aliud specimen vivum et adultum, colore albidum et maculis rotundatis sparsis, frequentibus, nigris ornatum, adeoque priori omnino simile. Deinde adhuc aliam pellem emendi occasio sese mihi obtulit, forsitan e juniori Animali, ideo-que paulo minorem et macularum forma non nihil variantem.

5. Räf-*Lo* (*Lynx vulpes*) prioribus multo rarior est, qui Venatoribus et Naturae Curiosis in terris borealibus vix nisi nomine notus videtur: qui forsitan in nullo Museo con-servatus conspicitur: quique in Faunis Suecicis ne quidem nomine vel commenoratur vel de-scribitur; sic ut verosimile sit, ut ipsum nomen Linnaeo, magno naturae scrutatori, fuerit ignotum, aequo ac plurimis aliis Zoologis praeter Celeberrimum Episcopum Pontoppidan, de Historia Naturali meritissimum, qui illum *Räf-Goupe* appellat. Venatoribus Sueciae publicis nomen quidem *Räf-Lo* notum est; ego vero ne unicum inveni, qui animalculum ipsum viderit vel occiderit, vel historiam ejus naturalem mecum communicare potuerit, do-nec tandem mihi felici casu contigerit pellem, absque tamen cranio, rarissimi hujus Lyncis acquirere. Pellis farcta, lacte rufa, in multis differt a prioribus, licet, in multis conveniat, ut omnes reliquae Felis species, quae in mundi nostri diversis regionibus habitant.

Sunt, qui sibi persuadent, hæc Lynxes non esse nisi tantum Varietates, nec verae distinctae species. Etiam haec fuit mea olim sententia. Non paucae tamen sunt difficultates, quæ sententiam hancce oppugnant. Sunt ideo alii, iisque non pauci, etiam inter Venatores, qui contendunt, quod diversæ sint potius species. Ulterior Experientia et iteratae Observationes veritatem tandem indagare, possunt. Quod ad memet attinet, negare non possum, quod et multæ et magnæ mili sint illæ rationes, quæ potius specificam differentiam, quam Varietates confirmant. Magnitudo inaequalis, color, externa corporis facies, et raritas quorundam præ aliis speciem potius, quam Varietatem extra dubium ponere videntur, et characteres sufficietes pro singula rite determinanda specie nobis subministrare. Praeterea singularis et magni utique momenti illa sine dubio est circumstantia, quod, dum *Felis Lynx* ab omnibus fere notus sit, et quotannis occidatur, et in America, et in Europa, nullibi reliquæ varietates, *borealis* scilicet et *vulpinus*, ne quidem nomine extra Scandinaviam notæ sint, vel rite descriptæ. Vero itaque simile erit, quod Scandinavia sola horum patria salutari debeat. Dum itaque consideremus, quod *Leopardus*, *pardalis* et *pardus* in Africæ desertis adeo similes sint, ut non sine summa difficultate distinguantur, licet ab omnibus Zoologis pro diversis speciebus semper habitæ fuerint; conclusio eadem de hisce etiam valere potest. Hæc considerationes alios exhortare debent, ad ulteriores instituendas Observationes, et ad ulterius illustrandum, quod adhuc obscurum, nec satis certum est.

Characteres essentiales sequentes formari possunt:

*Felis Lupulinus*: ferrugininæ maculis sparsis nigris; canda brevi; auriculis barbatis.

*borealis*: albidus maculis lineolisque nigris; canda brevi; auriculis barbatis.

*vulpinus*: rufus maculis rarioribus nigris; cauda brevi; auriculis barbatis.

---

### Descriptiones specierum.

#### 1. *Felis Lupulinus*.

*Incolis*: in Scandinavia ubique *Lo* et *Varglo*.

*Felis Lynx*. Linne Syst. Nat. 1. edit. Gmel. p. 83 etc.

*Habitat* in plerisque Scandinavie borealibus provinciis vulgaris, ubique bene etiam rusticis notus; versatur frequentior in illis regionibus, quæ sylvis densioribus obiectæ sunt.

*Magnitudine* adaequat Canem majorem et fere Lupum, licet non adeo sit crassus; Arbores velocissime ascendit, ad quas a canibus venatus refugium suum quaerit et a Venatore facile scelopeto occiditur.

*Pellenti* hujus unicam vidi, ex Angermannia provincia Sueciae, Lapponiae proxima, pulcherrimam maculis elegantissimis ocularibus—ornatam, sed mutilatam et pro Museo incompletam.

*In genere* rufescit supra, subiis albidus, corpore interdum maculoso, interdum non, pedibus tamen semper maculis sparsis, rotundatis, nigris notatis.

*Varietates* imprimis duae obveniunt, verosimiliter secundum differentiam sexus.

♂. a. longitudine et magnitudine Canem Lupum fere adaequat, — licet corporis circumferentia paulo minor sit.

*Color* universalis supra ferrugineus, subtus albidior est; — *dorsum* magis saturate coloratum, fere brunneum invenitur. *Gula*, pectus, abdomen et pedes latere interno alba.

*Circulus* ocularis niveus, interruptus supra.

*Nasus* ater, uti et *cauda* apice atra.

*Supra* oculis arcus tenuius, brunneus.

*Auriculae* ovatae, obtusiusculae, barbatae, erectae.

*Dentes* canini validi, longi, acuti; incisores 6, aequales, molares acuti.

*Cauda* cylindrica, obtusa, longitudine femorum, barbata.

*Pedes* robusti, omnes exteriori latere maculosi maculis obsoletis; de cetero nullae in corpore maculae evidentes.

*Unguis* altior in latere interiori pedum anticum reliquis duplo major est, validior et curvatus.

Longitudo corporis a naso ad basin caudae 40 poll.

Cauda 8 poll.

Caput 7 poll.

Auriculae 3 poll.

Penicillus ater, erectus, 1 pollicis longitudine.

Pedes subaequales, 16 poll.

Altitudo corporis ad dorsum 18 poll.

♀. β. *Corpus* magnitudine Canis majoris, vel ovis. Vulpem superat. Totum supra ferrugincum maculis et, lineis nigris, sparsis, frequentibus; subtus album excepto pectore magis sordido et maculato maculis parvis atris.

In *Capite* supra, collo et imprimis in dorso postice lineae abruptae, nigrae.

In *lateralibus* et pedum exteriori latere maculae aggregatae, rotundae, angulatae, nigrae. Latus interior pedum album, seu pallidius ferrugineum et parum maculatum.

*Annulus* oculorum niveus.

*Labiorum* margines et *nasus* atri.

In *Maxilla* inferiori utrinque macula nivea, nigro marginata.

*Mirrissae* inaequales, niveae, capite duplo breviores.

*Auriculae* ovatae, acutiusculae, albidae, extus margine et macula baseos atra, barbatae penicillo atro, pollicari, erecto.

*Cauda* femoribus brevior, obtusa, ferruginea, nigro-maculata apice atro.

*Abdomen* immaculatum.

*Unguis* in latere interiori pedum anticum superior validus et arcuatus.

*Mensura* a naso ad basin cauda 40 poll.

Altitudo antice 21 poll. postice 23 poll.

Pedes omnes circiter 15 poll.

Caput poll. 6. Collum circiter 6 poll.

Cauda ultra 6 poll.

Auriculae fere 3 poll.

*Figurae* annexae, cum multum differant a figura Buffonii, cumque mihi non contigerit videre Lynxem Auctorum, qui Europam meridionalem et Americani inhabitat, dubius adhuc haereo, annon mea specimina Lyncis, quae etiam in Fauna Suecica a Linneo commemorantur, revera sint species diversae et vere distinctae. Optarem igitur ut possem pellem completam Lyncis Europae meridionalis mihi acquirere pro pelle completa Lyncis Scandinaviae, cuius forsan specimina adhuc in Museis plerisque desiderantur.

2. *Felis borealis*.

*Incolis:* Katt-Lo.

*Felis borealis*, Thunb. Act. Stockholm. 1815.

*Felis* Linv. Linnè Syst. Nat. Edit. Gmelin I. p. 83.  $\beta$ .

*Felis borealis*, ut non nihil varians ab illa varietate, cuius in Actis Holmensibus descriptio et figura data fuit, meretur omnino, ut describatur, ut perfectior evadat hujus animalis historia Naturalis, quae luc usque valde fuit obscura, nec adhuc omnibus partibus absoluta dici potest.

*Color* universalis totius corporis albidus, vel sordide albus, tamen in pectore, ventre, posteriori latere pedum anteriorum, et latere interiori pedum posteriorum magis lacte albus, atque sub gula adhuc albidior.

*Mentum* et *collum* fere omnino immaculata.

*Labii* inferioris et superioris margines nigri secundum totam rictus longitudinem, sic ut arcus magnus, pollicis fere latitudine circum maxillas clausas inde formetur.

*Ocularis* arcus albus, interruptus, heic ut in ceteris similis occurrit.

*In colli* latere externo, paulo supra humerum, macula conspicitur atra, pollicis magnitudine.

*Caput* supra cinereum maculis plurimis, parvis striisque approximatis, tenuibus, nigris.

*Sub oculo* lateraliter inveniuntur macula oblonga nigra, et paulo inferius versus collum striae aliquot nigrae. *Dorsum* totum supra, pariter ac caput cinerascit striis multis fasciis, quae posteriori prope caudam elongatae et extantiores sunt, quarum nonnullae rectiores, nonnullae obliqueae.

*Latera* magis albescant, quam dorsum, cum pluribus striis et maculis interdum adeo confluentibus, ut circulos magis vel minus oblongos forment.

*Pedes* tam anteriores, quam posteriores approximatis et extantibus, majoribus pariter ac minoribus maculis nigris ornati sunt, — nimis anteriores latere antico et externo, posteriores extus usque ad digitos.

*Cauda* teres est et obtusa, apice ad dimidiam longitudinem atra, et deinde maculis sparsis, simplicibus nigris ornata.

*Auriculae* rotundatae, vel parum acuminatae cum penicillo parvo, acuto, nigro; postico latere albae maculis nigris; antice pilis albis tectae.

*Caput* circiter 6 pollices, suborbiculatum.

*Corpus* a Naso ad caudae basin 27 poll. et

*Cauda* 6 poll.

Altitudo ad dorsum 19 poll.

*Pedes* anteriores 12 poll. posteriores circiter 2 poll. longiores.

*Auriculae* erectae, vix 2 poll. longae.

*Unguis* in pedibus anticis, in latere interiori ordinarius in Lynee boreali videtur paulo inferius insertus, quam in reliquis.

*Lyncis borealis* corpus, comparatum cum Lynce *Vulpino* videtur crassior et brevior; et nasus etiam magis obtusus.

3. *Felis Vulpinus.*

*Incolis Sueciae dicitur Rüf-Lo. Norvegiae Rüf-Goupe.*

*Specimen*, quod heic describitur, occisum fuit in Uplandia, prope Upsaliam et ornat museum Academiae. *Magnitudine* et colore adeo similis est *Canis Vulpis*, ut in aliqua distantia impossibile erit hacc duo, alias tamen diversa Animalia distinguere et dignoscere. Haec similitudo sine omni dubio ratio non minis indigenarum fuit.

*E prioribus* hic rarissimus est, raro visus, rarius adhuc occisus vel captus.

*Color rufus*, fere sanguineus dicendus, communis est omni superiori et exteriori corporis parte, scilicet in capite, dorso, lateribus, cauda, femoribus et pedibus.

*In Capite* supra color tamen saturior, in obscurum abiens.

*In Dorso* supra color magis saturatus, subbrunneus, evadens deinde descendens per latera magis rubicundus.

*Color pallidior*, fere albus ornat partem posteriorem maxillae superioris et colli, pectus, abdomen, caudam et interiora latera femorum, pedumque. Hic color albiulus sub mento et collo, aequo ac annulo circum oculos et aures longe albidi conspicitur, quam in ulla alia corporis parte.

*Auriculae* erectae, oblongae, obtusae, apice terminatae penicillo erecto, acuto, nigro, pollicis longitudine; extus tectae pilis brevibus, nigris et in medio notatae macula subangulari, alba; intus tectae rariibus et longioribus, albis pilis; in fundo subnudae.

*Oculi* circulo albo cinguntur interrupto.

*Maxilla* superior prope nasum utrinque ornatur triplici serie macularum rotundarum nigrarum et pone illas arcu parvo nigro.

*A superiori* angulo oculi exireunt undatim tenuis stria nigra ad collum, et infra hanc duae aliae etiam ad collum latiores, nec non sub his ad latus maxillae aliquot striae tenuiores nigrae. E parte oculi anteriori ad nares procedit similis stria, tenuis et nigra, extensa intra circulum album supra oculum. *Capitis* superior pars, quae magis obscure rufa, quam dorsum, etiam ornata videtur aliquot, parvis et obsoletis, nigris striis.

*Dorsum* totum imprimis et latera exstanter notantur striis fuscis, longioribus et brevioribus, quae minime macularum formam habent, sed sparsae sunt et lanceolatae. Supra in dorso striae sunt obscuriores et longitudinales; in lateribus oblique decurrent et sensim obsoletae evanescent.

*In femoribus* et *pedibus*, latere nempe externo, maculae nigrae, rotundatae evidenter occurunt, in pedibus anticis usque ad digitos, in posticis tantum ad talum.

*Cauda* cylindrica, obtusa apice penicillata penicillo nigro, pollicis longitudine.

*Unguis* in pedibus anticis et latere interiori altius conspicitur fixus, curvatus versus abdomen. In latere interiori pedum antenorium etiam inveniuntur aliquot maculae nigrae, lunares. Anteriora pedes praeterea albidiiores sunt, quam posteriores.

Longitudo totius corporis, a naso ad basin caudae 36 pollic.

Altitudo ad dorsum 20 poll.

*Pedes*, qui videntur omnes aequales, 15 poll.


Cauda circiter 6 poll.

*Auriculae* 3 poll. praeter penicillum.


---

*Denkschriften Band IX. Abhandl. des C. P. Thunberg*

1.



2.



A. Falster

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Denkschriften der Akademie der Wissenschaften München](#)

Jahr/Year: 1824

Band/Volume: [09](#)

Autor(en)/Author(s): Thunberg Carolo Pedro [Carl Peter]

Artikel/Article: [Felis species, in Scandinavia habitantes 187-192](#)